

De cura paroeciarum a Praemonstratensibus exercenda animadversiones historico-canonicae quaedam

Quod decursu saeculorum apud Praemonstratenses in usu erat, clare enuntiatur in *Statutis* Ordinis anni 1630 ¹⁾, dist. II, cap. de Pastoribus, cap. XXIII, ubi, veluti principium, istud proclamatur : « Cum, pro lucro animarum, ad Pastorales curas, cum speciali approbatione Sedis Apostolicae, Religiosos suos Ordo noster emittat, adlaborent omnes Praelati, ut in concredito sibi grege semper habeant et vitae et morum disciplina bene excultos et doctrina praestantes, quos ad vineam Domini colendam cum fructu, et sine animarum tum propriarum tum ipsis committendarum dispendio, emittere queant ». Hac ratione, legislatio Ordinis temporibus modernis in *Statutis* Ordinis retinet et vindicat usum practice ab incunabilis Ordinis existentem ²⁾.

Quod ratione dicta in *Statutis* anni 1630 enuntiatur fuse vindicatur

1) *Statuta Candidi et Canonici Ordinis Praemonstratensis*. Averbodii, 1898. p. 132 s.

2) Recte scribit Pl. LEFÈVRE, *L'abbaye Norbertine d'Averbode pendant l'époque moderne*. Louvain, 1924, p. 183 : « Non contente de promouvoir la sanctification prrsonnelle de ces membres, la vie canoniale veut participer à l'édification des fidèles par l'exercice de la prédication et du ministère des âmes. La famille norbertine elle aussi travailla, dès son apparition, à réaliser ce programme. Son fondateur en avait donné l'exemple ; prédicateur infatigable, il parcourait les villes et les campagnes pour répandre partout la parole évangélique. Dans sa pensée, les monastères de son Ordre devaient devenir les foyers de rénovation chrétienne. Cette idée du patriarche des prémontrés devint particulièrement féconde depuis le moment où l'Ordre, rompant avec une étroitesse de vue primitive, confia à ses membres la direction des paroisses rurales, mêmes éloignées des monastères ».

a Ioh. LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633, pp. 197-203. Quod in hac sectione sui operis Lepaige exponere intendit, ita ab ipso exhibetur in inscriptione sectionis : « Quod Canonici regulares sine speciali dispensatione Sedis Apostolicae, cum sola licentia suorum Superiorum Regularium, possint beneficia saecularia etiam in titulum obtinere ».

Quod ita tum a legislatione Ordinis, tum ab auctore Bibliothecae Ordinis proponitur, nititur variis indultis pontificiis. Quorum solummodo praecipua indicamus. Consulto seligimus indulta, quorum textus referuntur a LEPAIGE, l.c.

Clemens III, anno 1188, bulla « Religiosam vitam eligentibus », calend. Aprilis 1188. In qua bulla, haec, praeter alia, edicuntur : « In parochialibus Ecclesiis quas habetis, liceat vobis quatuor vel tres de Canonicis vestris ponere, quorum unum Dioecetano Episcopo praesentetis, qui ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus et de Ordinis observantia respondeat. Inhibemus etiam, ne Ecclesias aut terras seu aliquod beneficium Ecclesiae vestrae collatum, liceat alicui personaliter dari, sive aliquo modo alienari sine consensu totius Capituli, sive maioris et sanioris partis eiusdem » (LEPAIGE, l.c., p. 642).

Urbanus IV, anno 1262, bulla « Quia igitur vos religiose vivere », octavo Idus Decembris. In hac bulla, Ordinis Praemonstratensis Superioribus concessa, haec inter alia edicuntur : « Canonici vestri, ex nostra speciali indulgentia, possunt Ecclesias parochiales habentes curam animarum impetrare, et impetratas per vestram officiare indulgentiam » (l.c., p. 688).

Iterum, Benedictus XIV, die 1 septembris 1750, bulla « Oneroso Sacri Apostolatus ministerio », Canonicis Praemonstratensibus licentiam modo indicatam proponit ac concedit. Bulla haec impressa fuit, Romae, in Typographia Rev. Camerae Apostolicae, anno 1750. In inscriptione bullae impressae clare contentum bullae exhibetur. Hac quidem ratione :

« Sanctissimi Domini nostri Domini Benedicti, Divina providentia Papae XIV. Constitutio, qua Canonicis Regularibus Praemonstratensibus conceditur ex integro Privilegium assequendi, et retinendi quas-cumque Parochiales, et Vicarias, quam Regulares absque ulla Dispensatione Apostolica ». Constitutio ipsa impressa quinque paginas habet.

Constitutionem illam impressam ex integro transscribimus.

(p. III) « Benedictus Episcopus, servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Oneroso Sacri Apostolatus Ministerio meritis licet imparibus Divina sic disponente Clementia Praesidentes, pia regularium virorum vota solliciti pii Patris affectione prosequimur, ac Privilegia eis alias a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa, denuo ex integro liberali indulgentia concedimus, ut ii in humiliatis Spiritu in regularibus locis Altissimo famulantes sublatis quibuscumque dubiis, et dissono litium clamore laudabilibus possint in Domino proficere incrementis. Sane pro parte Dilecti Filii *Nicolai Meyers moderni Procuratoris Generalis Canoniorum Regularium Praemonstraten. Ordinis* ³⁾, *Laudunen., et aliarum Civitatum vel Dioecesium*; Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod Ordo praedictus, illiusque pro tempore existentes Canonici Regulares inter quamplurima Privilegia a diversis Romanis Pontificibus, et signanter a fel. rec. *Urbano PP. IV, et Clemente PP. V.* praedecessoribus Nostri Ordini, et Canonice Regularibus praedictis Apostolica auctoritate confirmata, illoquidem in literis Apostolicis ab eisdem *Urbano et Clemente* praedecessoribus emanatis contento gaudent Privilegio, nimirum, quod Canonici Regulares eiusdem Ordinis pro tempore existentes Parochiales Ecclesias, etiam Saeculares, ac Clericis, seu Presbyteris Saecularibus conferri, et assignari solitas, absque ulla dispensatione Apostolica consequi, et consequutas retinere libere, et licite possint, et valeant. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ob collationem *Parochialis Ecclesiae de Limbrich Leodiens.*

³⁾ Nic. Meyers, natus 5 novembris 1695, mortuus 15 septembris 1778; procurator generalis Ordinis Romae annis 1736-1778. Cfr *Necrologium Ecclesiae B.M.V. de Tongerlo*, ed. W. VAN SPILBEECK, Tongerloae, 1902, p. 184, paucis hoc edicit : « Collegii nostri romani praesidis ac totius Ordinis procuratoris laudatissimi ». — P. VISSCHERS, *Geschiedkundige Inlichting over het Norbertijnsch Collegie... te Roomen*, Antverpiae, 1841, p. 34, iuxta *Necrologium* ms. dicit de ipso : « Vir praeclaris animi dotibus, morum honestate, nec vulgari eruditione, rerumque agendarum peritia praeditus ». — Ipsi procuratori Meyers, inter alia, debetur erectio statucae S. Norberti in basilica Vaticana S. Petri, Romae. Cfr. H. LAMY, *L'érection de la statue de Saint Norbert dans la Basilique de Saint-Pierre à Rome*, in *Anal. Praem.*, XVI, 1940, pp. 109-144. « Pendant quarante-deux ans, il s'était, au prix de bien des fatigues et de bien des déboires, acquitté consciencieusement de ses fonctions, parfois compliquées et toujours délicates. Fidèle serviteur de son Ordre, il avait défendu ses intérêts en cour de Rome, secondé par les uns, incompris des autres. L'une des entreprises les plus laborieuses auxquelles il avait consacré son activité avait été l'érection de la statue de saint Norbert dans la basilique de Saint-Pierre. De 1738 à 1767, il avait eu à faire face à des difficultés de toute sorte. Mais, grâce à une persévérance soutenue par une volonté opiniâtre, il était enfin arrivé à la réalisation de son projet ».

Dioecesis., et respective provisionem de illa certo tunc expresso modo (p. iv) vacante Dilecto etiam Filio Melchiori Vverden, Presbytero, ac Canonico Regulari dicti Ordinis expresse professo non diu a Nobis eadem Apostolica auctoritate factas Curia Episcopalis Leodien., et pro illius parte Dilectus pariter Filius Promotor Fiscalis eiusdem Curiae Episcopalis collationi, et provisioni huiusmodi in Dataria Apostolica eo sub praetextu, quod Canonici Regulares dicti Ordinis ad Parochiales Ecclesias obtinendas, prout iuxta Constitutionem a Nobis novissime editam incipientem *Quod inscrutabili* Canonici Regulares Ordinis Sancti Augustini Canonicorum Regularium Congregationis Lateranen. ad Parochiales Ecclesias huiusmodi habendas incapaces sunt, etiam existerent incapaces, tunc se opposuerit, illasque impugnaverit, controversiam huiusmodi in eadem Dataria Apostolica pro validitate collationis, et Provisionis in vim praedicti Privilegii in eisdem Urbani, et Clementis praedecessorum praedictorum Literis contenti licet absque dispensatione Apostolica factarum substinenda opus fuit agitare; Idcirco Nicolaus praedictus ad tollenda quaecumque dubia, et obiectiones, quae in futurum a quibuscumque Episcopalibus, Archiepiscopalibus, et Primatialibus, aliisque Ecclesiasticis Curiis, earumque respective Promotoribus Fiscalibus, seu Procuratoribus legitimis, adversus Privilegium praedictum in dictis Urbani, et Clementis praedecessorum praedictorum Literis ut praetenditur contentum, excitari possint in futurum; Necnon pro maiori nunc, et pro tempore existentium eiusdem Ordinis Praemonstraten. Canonicorum Regularium, qui de Parochialibus Ecclesiis de caetero tam Apostolica, quam Ordinaria Auctoritate erunt providendi, quiete, et tranquillitate plurimum cupiat sibi ac Canonicis Regularibus in eodem Ordine Praemonstraten. expresse professis nunc et pro tempore ubique existentibus per nos, et Sedem Apostolicam *ex integro* ut infra benigne indulgeri. Quare pro parte dicti Nicolai Nobis fuit humiliter supplicatum quatenus eiusdem Ordinis Praemonstraten., illiusque Canonicorum Regularium qui nunc in eo expresse professi sunt, et imposterum etiam in eo professionem expresse emittent indemnitati in praemissis opportune consulere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui quarumcumque litium, et iurgiorum occasiones tollere sinceris desideramus affectibus, Nicolao praedicto, ac Canonicis Regularibus praedictis specialem gratiam facere volentes, eosdemque, et eorum quemlibet a quibusvis Excommunicationis, suspensionis, (p. v) et interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, et

poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequen., harum serie absolventes, et absolutos fore censes, huiusmodi supplicationibus inclinati eidem Nicolao, ac Canonicis Regularibus, qui nunc in eodem Ordine Praemonstratensi, ut praefertur, expresse professi sunt, et imposterum etiam in eo professionem emittent, ut ipsi ex nunc, et perpetuis futuris temporibus absque ulla oppositione, et contradictione quascumque Parochiales Ecclesias, etiam Saeculares, illarumque perpetuas Vicarias Clericis, seu Presbyteris Saecularibus conferri, et assignari solitas, si tamen eis, et eorum cuilibet canonice conferantur, aut ipsi eligantur, praesententur, vel alias assumantur ad illas, absque dispensatione Apostolica consequi, et in eis quavis auctoritate institui illaque recipere, et quoad vixerint retinere libere, et licite possint, et valeant, Apostolica auctoritate praedicta tenore earundem praesentium *ex integro* perpetuo concedimus, et indulgemus; Ipsumque Nicolaum, nec non Canonicos Regulares dicti Ordinis Praemonstren. nunc, et pro tempore existentes praedictos super praemissis a quibuscumque etiam Curiis Ecclesiasticis, seu earum Promotoribus Fiscalibus, vel Procuratoribus praedictis quavis auctoritate praetextu, colore, causa, vel ingenio molestari, inquietari, perturbari, aut impediri nullatenus numquam posse, sed Indulto per Nos concessio huiusmodi semper, et perpetuo pacifice frui, et gaudere, ac easdem praesentes nullo umquam tempore ex quocumque capite, aut quavis occasione, vel causa de subreptionis, aut obreptionis, aut nullitatis vitio, seu Intentionis nostrae, vel quopiam alio quantumvis substantiali, et inexcogitato, ac specialem, et individuum mentionem, et expressionem requirente, defectu, notari, impugnari, invalidari, retractari, in Ius, vel controversiam vocari, aut adversus illas quodcumque Iuris, vel Facti, aut gratiae remedium impetrari, seu etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine concessio, et impetrato quempiam uti, seu se iuvare posse, neque illas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, modificationibus, aut allis contrariis dispositionibus etiam per Nos, et Sedem praedictam, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis quomodolibet pro tempore factis, et (p. VI) faciendis, ac concessis, et concedendis comprehendi, vel confundi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per dictum Nicolaum modernum,

ac pro tempore existentem Procuratorem Generalem, et eosdem Canonicos Regulares dicti Ordinis Praemonstraten. nunc, et pro tempore existentes quandocumque eligenda, concessas esse, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac Nicolao, et Canonicis Regularibus dicti Ordinis Praemonstraten. nunc, et pro tempore existentibus praedictis, quorum favorem eadem praemissa respective concernunt, plenissime suffragari, sicque, et non alias per quoscumque Iudices Ordinarios, vel Delegatos, quavis auctoritate fungentes etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictaeque Sedis Nuncios, iudicari, et diffiniri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus, non obstantibus quibusvis etiam in Synodalibus Provincialibus, Generalibus, et Ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis Praemonstraten., etiam Iuramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis quibusvis Personis, etiam speciali nota dignis, et necessario exprimendis in contrarium praemissorum quomodolibet forsitan concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, alias de illius, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eisdem praesentibus pro expressis habentes, illis, alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime hac vice dumtaxat ad praemissorum validissimum effectum specialiter et expresse harum quoque serie derogamus contrariis quibuscumque. Volumus autem quod earumdem (p. vii) praesentium transsumptis etiam typis impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique in Iudicio, et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae, vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, Concessionis, Indulti, Decreti, Derogationis, et Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem. Anno Incarnationis Dominicae, millesimo

septingentesimo quinquagesimo, Kalendis Septembris, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Loco + Plumbi.

(Sequuntur 11 subscriptiones).

Hucusque textus Indulti Apostolici Ordini concessi. In ipso Indulto, plus quam semel citatur nomen procuratoris Generalis illius temporis, Nicolai Meyers. Huius Procuratoris generalis vigilantissimi asservantur in archivo abbatae Parcensis octo epistolae, in quibus sensus et significatio Bullae supradictae non parum clarescit (arch. Parcens., li. XXI, cas. XVII, 5: n^o 79-86). Paucis ergo contentum harum litterarum considerare placet.

Controversia satis aspera orta erat ex eo quod episcopus Leodiensis ⁴⁾ irritam facerat institutionem canonicam paroeciae Limbrich, seu Limberight, ad quam canonicus abbatae Steinfeldensis, Ordinis Praemonstratensis, promotus fuerat a barone de Limberight. Ex litteris procuratoris Meyers concludi debet talia etiam in aliis regionibus accidisse. Scribit siquidem Nicolaus Meyers die 21 decembris 1748, inter alia, ista: « Emanata sub hoc Pontificatu ⁵⁾ apostolica Constitutione contra Canonicos Regulares Lateranenses, declarante illos omnino inhabiles ad beneficia saecularia tam cum cura quam sine cura, contigit a praenobili Barone de Limberight, ad pastorem eiusdem oppidi dioecesis Leodiensis nominari quemdam Confratrem professum abbatae Steinfeldensis, renuente Curia Leodiensi eidem dare institutionem, inter alia allegando praefatam Constitutionem; desuper litem hic in Dataria sustinere debui, sed Summus Pontifex, collationem a Domino Barone Limberight factam libenter confirmavit, dicens se sub Constitutione contra Canonicos Lateranenses emanata non voluisse comprehendere Canonicos Praemonstratenses, propter insignia privilegia; et in effectu, dum Summus Pontifex antedictam Bullam conderet, Bullarium nostrorum privilegiorum a me petiit et diligenter perlegit. Hoc modo evictis contradictoriis bullam in favorem confratris sine dispensatione in forma solita sacerdotum saecularium expediri et vigore eiusdem confrater in pacificam possessionem missus est ».

⁴⁾ Annis 1744-1763, Iohannes XI Theodoricus von Bayern episcopus erat Leodiensis. Cfr. B. GAMS, *Series Episcoporum Ecclesiae Catholicae*, Graz, 1957, p. 249.

⁵⁾ Annis 1740-1758, Benedictus XIV erat Summus Pontifex. Ipsi successit, mense maio 1758, Clemens XIII.

Ex litteris procuratoris Meyers patet plures Episcopos in Germania eadem ratione agere voluisse ubi agebatur de instituendis Praemonstratensibus ad aliquod beneficium ecclesiasticum. Ideo Summus Pontifex procuratorem rogaverat ut originale privilegiorum Ordini Praemonstratensi concessorum ipsi ostendere vellet. Post varias inquisitiones vanas in variis archivis Romanis, tandem desiderata documenta inventa sunt; et quidem quattuor talia documenta quae referuntur a LEPAIGE in sua *Bibliotheca Ordinis Praemonstratensis*; et quintum documentum, emanatum a Clemente V, « Quia vos religiose vivere », asservato in archivo abbatae Parcensis. Perlectis et examinatis his documentis, Summus Pontifex, ita procurator Meyers, se paratum dixit novam Bullam evulgare; quae nihil vere novi continebit, sed potius veluti confirmatio habenda erit eorum quae antea vi aliarum Bullarum iam Ordini concessa fuerant.

Paulo post, die 30 augusti 1749, sequitur alia epistola procuratoris. E qua patet Datariam Apostolicam Romae movere difficultates pro evulgatione authentica Bullae. Conqueritur insuper procurator se in hoc negotio non invenire apud omnes et singulos Praelatos adiutorium quod iure exspectare se posse aestimaverat. In specie procurator conqueritur de insufficientibus sibi procuratis denariis ut negotium brevi ad foelicem finem deduci possit. Iterum de hac re scribit procurator generalis in epistola abbati Parcensi directa die 7 februarii 1750. In hac epistola conqueritur procurator de negligentia abbatum Circariae Brabantiae. Insistit procurator; nam periculum adest « ne gravetur pro finali executione gratiae a me biennali labore obtentae ac sacro Ordini tam utilis quam necessariae, ne labores mei et gratia tam singularis propter provectam Summi Pontificis aetatem, qui una vice dicitur curisse periculum alicuius accidentis, superveniente eius morte, absque effectu cum magno praeiudicio Ordinis maneant ».

Alia epistola mittitur ab eodem Procuratore die 5 septembris 1750. In qua iterum insistit procurator Meyers : abbates Brabantiae negligentes sunt in concedendis sibi contributionibus financiariis necessariis. Memores sint hi Praelati, ita procurator, agi de privilegio vere insigni. « Insuper submitto considerationi vestrae, quod hoc privilegium ex auctoritate et indulto apostolico inter omnes Canonicos Regulares sit unicum et proprium soli Ordini Praemonstratensi; quodque simile privilegium sacro Ordini nostro ab Urbano 4 et Clemente 5 concessum, a Gregorio XIII et Clemente octavo fuerit annullatum; unde contigit, quod « Abbates post emanatam hanc annulationem adhuc volentes sed non valentes manutenere hoc privilegium, quoties circa paroeccias

suas lites attentarunt». Indultum quidem nondum expeditum est. « Si quis dicat, quod hoc novum privilegium numquam in Belgio obtinebit placetum regium, dico : etiam videbatur impossibile impetratu a S. Sede novum hoc ex integro indultum; obtinui tamen, si tamen placetum obtineri non possit, semper in hac Curia plenum suum robur conservabit, nec rarus adeo est ad hanc Curiam pro conservatione nostrarum parochiarum recursus sive super iure patronatus, unione Parochiarum cum nostris respective Monasteriis, adeo ut hoc privilegium tam clare, distincte et cum favorabilibus clausulis a Summo Pontifice concessum et Sacro Ordini tam utile quam necessarium sine ulla mora mereatur expediri ».

In epistola diei 17 septembris 1751, communicat procurator Cardinalem-Protectorem, Hannibalem Albani, defunctum esse; cui suffectus fuit, qua protector, frater germanus cardinalis defuncti, Alexander Albani.

In epistola diei 18 iulii 1753, iterum scribit procurator abbati Parcensi. In quae epistola nonnulla communicat relate ad ea quae facere debuerit procurator ad hoc ut bullam impetrare posset. In qua haec, inter alia dicuntur : « Toti sacro Ordini nostro constare debet, quanto labore obtinuerim novum privilegium ex integro nostrae habilitatis ad ecclesias Parochiales etiam saeculares regendas. Urbi non minus notum est, quam foeliciter me opposuerim variis Germaniae Episcopis, qui facta causa communi apud Summum Pontificem, in vanum tamen, institerunt, ut dictum privilegium revocaretur, vel saltem certis conditionibus ligaretur. Norunt denique Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis Bohemiae ⁶⁾, Amplissimi Domini Abbates Gradicensis ⁷⁾ et Strahoviensis ⁸⁾, quanta diligentia tam per Summum Pontificem, quam Eminentissimum D. Cardinalem Melini, Augustissimae Imperatricis Reginae Ministrum hic, impediverim conatus Eminentissimi Episcopi Olomucensis ⁹⁾, qui,

⁶⁾ Vicarius generalis Circariae Bohemiae et Moraviae annis 1752-1782, erat Paulus Vaclavik. Cfr N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, Straubing, t. 1, 1949, p. 281.

⁷⁾ Abbas Gradicensis (Hradisch-Hradisko, in hodierna Tchecho-Slovakia) annis 1741-1781 erat Paulus Vaclavik. Cfr N. BACKMUND, *l.c.*, p. 294.

⁸⁾ Annis 1741-1764, Gabriel Kaspar abbas erat Strahoviensis (in urbe Pragensi). Cfr N. BACKMUND, *l.c.*, p. 313.

⁹⁾ Annis 1745-1758, Ferdinandus Iulius v. Troyer episcopus erat Olomucensis (Olomütz); qui etiam cardinalis erat. Ipsi, currente anno 1758, successit Leopoldus Fridericus v. Egkh-Hungersbach. Cfr. B. GAMS, *Series Episcoporum Ecclesiae Catholicae*, Graz, 1957, p. 298.

qua potuit, arte, sed absque effectu tamen, fatigavit Aulam Viennemensem, ut hoc nostrum privilegium revocari curaret».

Tandem, uti novimus ex epistola procuratoris, diei 9 maii 1759, ea quae necessaria erant ad Bullae expeditionem ex parte Datariae Apostolicae, Romam advenerunt. Et expeditio authentica perfici potuit. « Fateor, ita procurator Meyers, quidem non solum in Belgio sed ubique etiam finito bello calamitosa tempora adhuc perseverare, his tamen non obstantibus omnes extra Galliae Regnum Circariae considerantes ex una parte necessitates confirmandi seu renovandi habilitatem nostram ad saeculares Parochias obtinendas, etc., quae continuam, saepe etiam cum amissione Parochiarumstrarum patitur contradictionem et ex alia parte utilitatem et splendorem, quae ex eadem provenient et qua, ut ita dicam, unica ab Ordinibus Monachorum et Mendicantium distinguitur, contribuerunt, adeo, ut sola Circaria Brabantiae, manens in mora contributionis causa sit, quod dicta Bulla non possit expediri, imo et occasio eandem expediendi nobis subripi possit per diversa incidentia, de quibus me prae-monent diversi Praelati Germaniae».

Tandem, re foeliciter absoluta, et soluta, meritissimus procurator generalis ultimam hac de re epistolam hac ratione subsignare potuit : « Prospera tempora apprecans singulari veneratione et iterata gratiarum actione persevero, Reverendissimae Amplitudinis Vestrae, humillimus et obsequentissimus famulus, fr. Nicolaus Meijers, Procurator Generalis».

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

Abdijstraat 1, Averbode (Belg.).